Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26682
Copyright: Admont, Benediktinerstift



scuto circumdabit te veritas eius non timebis a timore nocturno A sagitta volante in die a negotio perambulante in tenebris ab incursu et demonio meridiano Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis ad te autem non appropinquabit Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis Quoniam tu es domine spes mea altissimum posuisti refugium tuum Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo Quia angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis In manibus tuis portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum Super aspidem et